

instrumenta edere debeat reo ad probandam suam exceptionem.

12. *Reus admittitur ad juramentum suppletorium et purgatorium; sed non e contra.* — Tertio, quando actor non plene probat, in civilibus, reo potius, quam actori defertur juramentum suppletorium, c. et § fin. de *Jurjurando*, et amplius diximus lib. II, tit. XXIV, eod. a n. 191. In criminalibus vero reus non convictus, sed graviter suspectus, et gravatus admittitur ad juramentum purgatorium c. 1 et 2, de *Purgat.* canon. cum concord. cum tamen in iisdem criminalibus actor in vim probationis jurare nunquam permittatur.

13. *Reus potest excipere contra actorem excommunicatum; non e contra.* — Quarto. Potest reus contra actorem excommunicatum excipere, non sic contra reum ut talem actor. c. *Intelleximus*, 7, de *Judiciis*. ubi summarium sic habet: « Excommunicatus, in iudicio nisi tanquam reus stare non potest. » Quæ et similia reo, non item actori sunt licita; quia juxta duplicem Regulam n. 3, citatam favorabiliores sunt partes rei, quam actoris.

14. *Fallit regula primo quia actor potest extraordinarium judicem petere; non item reus.* — Quæritur II. An et quas tallentias regula 32, patiat, ita ut actori liceat, quod reo licitum non existit? Resp. eam fallere in sequentibus; et quidem primo potest actor petere, et per rescriptum principis extraordinarium judicem impetrare, atque ad illum trahere reum. l. *Si quando*, 2. C. de *Dilat.* quod tamen vicissim reo minime permittitur. *Novell.* 69, cap. 1. Dynus hic.

15. *Secundo, quia potest ex pluribus ordinariis judiciis unum pro libitu eligere; non item reus.* — Secundo, quando actor plures habet judices ordinarios, potest unum pro libitu suo eligere, l. *Cum clericis*, 25, pr. C. de *Episcop. et cleric.* juncta l. fin. C. *Ubi in rem actio*. Et tamen id non licet reo, utpote qui nullum ordinarium judicem recusare, sed coram eo per actorem conventus comparere tenetur. l. *Nemo*, 4, C. de *Jurisdic. omn. judic.*

16. *Tertio, quia actor reum de crimine accusare; non vero reus, nisi purgatus illum reaccusare potest. Defensio non relatione criminum, sed innocentia fieri debet.* — Tertio. Potest actor reum de crimine accusare coram competente giudice: et tamen reus nisi prius purgatus actorem coram eodem giudice reaccusare non valet. l. *Neganda*, 19. C. *Qui ac-*

cusare non poss. quia non relatione criminum, sed innocentia sua se purgare debet reus, claro textu, l. *Si quis*, 5, pr. ff. de *Public. judiciis*. ibi: « Si reus factus est, purgare se debet, nec ante potest accusare, quam fuerit excusatus. Constitutionibus enim observatur, ut non relatione criminum, sed innocentia reus purgetur. »

17, 18, 19. *Actor probato furto rei admittitur ad juramentum de amissa quantitate: non item reus ad juramentum purgatorium.* — Quarto, stante obscuritate libelli sensum ejus declarare actori, non item reo licet l. *Inter*, 83, § 1, ff. de *Verb. Oblig.* sic suadente æquitate, hoc ipso, quod actori intentio et sensus proprii libelli melius perspectus censeatur, quam reo.

Quinto, quando actor res sibi a reo ablatas debite probavit, admittitur ad juramentum de asserenda earum quantitate, c. fin. de *His, quæ vi metusque causa*, ubi tamen in tali casu ad juramentum purgatorium nullo modo admittitur reus; quia facta contra illum probatio furti vel rapinæ eundem suspectum jam et odiosum reddit.

Sexto. Permissum est actori etiam die feriati nuntiationem novi operis facere: non tamen licet reo hujusmodi feriati die remissionem nuntiationis petere l. 1, § 4, ff. de *Novi operis nuntiat.* Et merito; quia in nuntiationis mora longe majus periculum est, quam in dilatione remissionis, prout ex rei natura patet.

REGULA XXXIII.

MUTARE QUIS CONSILIUM NON POTEST IN ALTERIUS PRÆJUDICIUM.

1. *Regula unde desumpta?* — Huic regulæ concordat 75. *Regula*, ff. de *Reg. jur.* ex qua etiam desumpta censetur: « Nemo potest mutare suum consilium in alterius injuriam. » Consonat regula 21, jur. in 6, supra jam declarata: « Quod semel placuit, amplius displicere non potest. »

2. *Est intelligenda, quando alteri jus jam est quesitum.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam esse intelligendam de illis duntaxat casibus, seu tunc solummodo locum habere, quando ex alicujus consilio, consensu, contractu, aut quocunque actu libere et consulto facto, alteri jus jam est quesitum, consequenter hic ex mutatione,

variatione, aut revocatione pateretur detrimentum, injuriam, ac præjudicium, uti cum Glossa, Barbosa et Dyno hic communiter tradunt doctores per argumentum a contrario desumptum; hoc ipso quod dicat regula: « Non debet mutare consilium in alterius præjudicium » bene cum Glossa inferitur ergo a contrario, ubi præjudicium et detrimentum alterius abest, mutare licet.

3. *Mutare consilium, quando nemini præjudicat, laudabile et prudentis est. Eidem, et opinioni suæ tenaciter inhærere, si circumstantia et æquitas aliud exigunt, pertinacia et superbia est.* — Imo quando mutatio consilii nemini præjudicat, nec alias a jure communi prohibita existit, subinde non tantum licita, sed etiam laudabilis est, ut si mutantur circumstantiæ, aut novæ superveniant, aut jam existentes prius minus consideratæ, aut per genuinam informationem primum sufficienter cognitæ, atque consilii mutationem exigere visæ fuerint: tunc enim prudentis et sapientis est mutare consilium arg. l. *Nonnunquam* 8, ff. de *Collatione bonorum*. Ubi e contra in hujusmodi circumstantiis consilio, opinioni, resolutioni suæ tenaciter inhærere evidens signum est pertinaciæ et occultæ superbiæ, quæ pro conservanda reputatione, aut æstimatione, et ne quis inconstans, levis, aut ignarus, vel minus doctus et expertus appareat, mutare et revocare erubescit, effectu prorsus contrario ordinarie subsequente; cum ita tenaciter sensui suo inhærens non vir constans, prudens et doctus, sed pertinax, imprudens, simulque occulte superbus, aut certe ex proprio interesse, passione, affectu vel respectu privato procedens plerumque reputetur, et non raro etiam propriam conscientiam multum gravet, præsertim quando satis apparet, quod, nisi mutetur vel revocetur consilium, opinio, votum, resolutio et bonum commune, aut tertius patiat; dum e contra exigentibus circumstantiis consilium suum mutans aut revocans, non inconstans, levis aut ignarus, sed vir prudens, veritatis et æquitatis amans, indifferens, Deum timens, humilis, simulque doctus habeatur, æstimetur, et diligatur. Præsertim cum etiam prudentissimi, doctissimi, piissimi supremi legislatores, pontifices, cæsares ac principe pro exigentia circumstantiarum leges, ordinationes, resolutiones, consilia et mutare et revocare non erubescant, uti patet ex satis pulchros et ad propositum bene serviente claro textu c. ibi:

« Alma mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat, et consulte, quæ suadente subjectorum qualitate postmodum consultius et rationabilius revocat, in meliusve commutat. » ac imperatoris Novell. 22, in *Præfat.* § *Non enim erubescimus*, ibi: « Non enim erubescimus, si quid horum, quæ ipsi prius diximus, adinveniamus, hoc sancire, et competentem prioribus correctionem imponere, nec ab aliis expectare corrigi legem, » quibus consonat illud Luciani: « Melius est e medio cursu recurrere, quam male currere. »

4. *Laicus patronus cumulando potest mutare, et præsentare alium.* — Firmatur hæc doctrina etiam juris exemplis. Sic enim si laicus patronus aliquem etiam idoneum ad beneficium præsentavit, potest ante institutionem ipsius adhuc alium præsentare, c. *Cum autem*, 24, de *Jurepatron.* quia priori jus necdum fuit quæsitum, consequenter mutando consilium eidem non fit injuria.

5. *Procurator, re adhuc integra, mutari potest.* — Sic pariter procurator ad negotia deputatus, re adhuc integra revocari potest, l. *Si Mandatum*, 15, ff. *Mandati*. Sicut etiam ad litem prosequendam constitutus, ante litis contestationem libere revocari valet. c. *Quamvis*, 2, de *Procurat.* in 6. Idque ex ratione jam allegata; quia videlicet nulli eorum fit injuria; cum nullius eorum adhuc jus quæsitum habuerit. Ex qua eadem ratione, quia reo non fit injuria, etiam actor libellum jam oblatum ante litis contestationem licite revocare, mutare et emendare potest, l. *Edita*, 3, C. de *Edendo*. Hinc

6. *Ponitur versus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: « Nemo potest suum consilium, consensum, resolutionem, etc., mutare aut revocare, postquam alteri jus jam fuit quæsitum, et consequenter ex mutatione, seu revocatione consilii, etc., injuria vel detrimentum eidem inferretur. » Ratio regulæ est, quia jure naturali et divino cautum est: « Alterum non lædere, suum cuique tribuere. » *Instit. de Jur. et just.* § 3, quod idem l. *Justitia*, 10, § 1, ff. eod. repetitur, et universali juris regula 74, ff. de *Reg. jur.* firmatur: « Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. »

7. *De fallentis regulæ. Remissive.* — Exempla juris regulam et sensum illius magis declarantia et firmantia affert Glossa hic, Dynus et Barbos. quorum aliqua jam adduximus supra declarando regulam 21, a n. 8, quibus

accedunt, quod post publicatum scrutinium vocales variare, et mutare non amplius valeant. cum electo jus jam sit quæsitum, c. *Publicato*. 38, de *Elect.* Ex qua eadem ratione patronus ecclesiasticus mutare, et superiori alium præsentare amplius nequit postquam eidem jam aliquem præsentavit, c. *Cum autem*. 24, § *Verum si de jurepatron.* ubi etiam habetur, quod idem facere nequeat patronus laicus, excludendo prius præsentatum, bene vero cumulando, sed addendo priori alterum juxta dicta supra, et amplius declarata, lib. III, tit. XXXVIII, § 3.

8. *Filius repudians hæreditatem paternam potest mutare, et eam adhuc adire.* — Quæritur III. Num, et quas fallentias patiatur regula 33. Resp. a Glossa, et aliis plures afferri, ex quibus etiam sunt illæ, quas jam retulimus contra regulam 21, a n. 15, quibus addunt casum, quo filius paternam repudiavit hæreditatem, utpote qui re adhuc integra intra certum tempus, si mavult consilium mutare, et hæreditatem adire, adhuc potest, l. fin. C. de *Repud. hæredit.* juncta l. *Si quis suus hæres*. 8, ff. de *Jure deliber.* et l. *Nonnunquam*, 8, ff. de *Collat. bon.* quamvis frater cohæres exinde videatur pati detrimentum. Verum si stricte loqui volumus, vix censentur propriæ fallentiæ, cum regulæ adversari non videantur: hoc ipso enim quod juxta dicta n. 2. Regula tunc tantum procedat, quando alteri jus jam est quæsitum, et consequenter per mutationem ei inferatur injuria: in præallegatis autem casibus jus firmum alicui nedom sit quæsitum, legibus mutationem adhuc concedentibus, mutans consilium in memoratis casibus injuriam alicui inferre non censetur; quia, « qui utitur jure suo, nulli facit injuriam, » per vulgaria: prout etiam Glossa in l. *Nemo potest*. ff. de *Reg. jur.* ad casum, quo filius prius repudiat, et postea adit hæreditatem paternam, bene observat illis verbis: « Non dicitur, fraudem habere damnum, quod per injuriam denotatur: » sed magis dicitur non lucrari, inter quæ est differentia, arg. l. fin. § 2, C. de *Codicil.* ibi: « Non enim par, eademque ratio videtur, amittere debita, et lucra non capere. »

REGULA XXXIV.

GENERI PER SPECIEM DEROGATUR.

1. *Regula unde desumpta?* — Sumitur hæc regula ex l. *In toto jure*. 80, ff. de *Reg. jur.*

ibi: « In toto jure generi per speciem derogatur, et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est. » Consonat c. 1, de *rescript.* et c. *Studivisti de Offic. leg.* ibi: « Speciale mandatum derogat generali. » Item c. *Pastoralis*. 14, de *Rescriptis.* ibi: « Cum generali per speciale procul dubio derogetur, » cum concord.

2. *Quid sit genus in sensu juridico?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Ante responsionem notandum, ly *Genus* et *species* aliter a juristis, aliter a philosophis accipi. *Genus* quippe apud juristas dicitur omne illud, quod plura sub se continet, sive dein hæc plura sint vere species philosophicæ, uti homo, equus, leo, aquila, etc., sive alia communia, v. g. vestis, lex, pecunia, etc., sive mera individua et singularia, sive aliæ partes aut res sub tali genere comprehensæ: ut proin in sensu juridico etiam homo, equus, leo, et aliæ species philosophicæ dicantur *genus*, quia plura sub se continent individua, Petrum, v. g. Paulum, hunc vel illum equum, leonem in individuo. Item *genus* sunt vestimentum, fundus, frumentum, rescriptum, mandatum, privilegium, contractus, actio, etc., quia cuncta hæc continent sub se plura, uti *vestimentum* togam, pallium, indusium, etc., *frumentum* triticum; hordeum, avenam, etc., *fundus* agrum, hortum, vineam, etc., *lex* divinam, naturalem, etc., *rescriptum*, *mandatum* hoc vel illud in individuo, etc.

3. *Quid in sensu philosophico.* — Apud philosophos vero ea, quæ non nisi plura individua sub se habent, ut est homo, equus, etc., non *genus*, sed *species* dicuntur: *genus* vero, quod plures hujusmodi species in sensu philosophico acceptas comprehendit, ut animal, avis, etc.

4. *Quid sit species apud juristas.* — Species in sensu juristarum dicitur omne illud, quod sub genere juridico, plura continente, comprehenditur, etiamsi sit individuum, seu singulare, prout respectu hominis est Petrus, Paulus, respectu equi hic vel ille in individuo ac singulari. Taccin. hic n. 1; Strein. n. 1. Vocabularium juris § *Species*. Joan. Berchan. in l. *Recte dicimus*. ff. de *Verb. signif.* et alii, arg. l. *Mutuum*, 2, pr. ff. de *Rebus credit.* cum concord.

5. *Minus commune respectu magis communis dicitur etiam species.* — Porro apud juristas nomine speciei venit etiam illud, quod quidem tanquam commune plura continet, ta-

men minus commune est, et pauciora sub se comprehendit, quam aliud, cum quo hic et nunc concurrat, ut proin idem sub diverso respectu et concurrentia in sensu juridico, nunc *genus*, nunc *species* vocari valeat; uti si duæ sint leges generales, una magis generalis quam altera: tunc enim minus generalis lex, respectu magis generalis, speciei nomen habet, quamvis et hæc minus generalis respectu legis singularis, seu particularis etiam *genus* vocetur. Decius in l. *In omni jure* ff. de *Reg. jur.*; Dyn. hic n. 8, arg. cit. l. *In omni jure*, 80, ff. de *Reg. jur.* l. *Sanctio legum*, ff. de *pænis*, ibi: « Sanctio legum, quæ novissime certam pœnam irrogat iis, qui legis præceptis non obtemperaverint, ad eas species pertinere non videtur, quibus ipsa lege pœna specialiter addita est nec ambigitur in cætero omni jure, speciem generi derogare. »

6. *Nil refert, an species præcedat, vel sequatur.* — Cæterum nil refert, an species præcedat, vel sequatur legem, seu prius vel postea sit constituta semper enim procedit regula, quod generi per speciem derogetur. Dynus hic n. 4; Pech. n. 7; Taccin. n. 4; Strein. n. 2; Decius l. cit. n. 7, quia ratio regulæ in utroque casu locum habet, uti patebit ex n. 8.

7. *Quid autem sit et dicatur species in sensu philosophico, dictum est supra n. 3.* His notatis

8. *Ponitur verus sensus regulæ.* — Resp. ad questionem n. 2, positam; regula præsens intelligenda est de genere et specie in sensu juridico hactenus declarato, ita ut verus illius sensus hic sit: « Quando duæ dispositiones sibi contrariæ concurrunt, illa, quæ specialis est, derogat generali, et si ambæ communes sunt, una tamen magis, altera minus talis, ea, quæ minus communis, sicque *species* est, derogat magis communi tanquam genere in eo tamen duntaxat, in quo specialis generali, vel minus communis magis tali contraria existit. » Per regulas et jura hactenus allegata. Ratio et finis regulæ est teste Barb. hic n. 2, et communi doctorum, ut discordantes species et genus, quantum possibile est, concordentur, juxta universale juris præscriptum c. *Cum expediat*. 29, de *Elect.* in 6, ibi « Cum expediat concordare jura viribus, et eorum correctiones (si sustineri valeant) evitari; » quod melius fieri non potest, quam si, uti vult regula, species generi in eo duntaxat, ubi eidem contraria

est, derogare dicatur, salva in reliquo utriusque natura et proprietate verborum: eo fere modo, quo fit in regula aliqua generali, et ejus exceptione seu fallentia, ubi regula stat loco generis, et exceptio seu fallentia loco speciei, quæ derogat regulæ in eo, ubi est eidem contraria.

9. *Procedit regula in plurimis.* — Regula sic explicata procedit in plurimis, prout post Dynum hic n. 1 et seqq. et observat Gloss. hic. Decius loc. cit. et alii uti in legibus et statutis: in rescriptis et mandatis: in legatis et ultimis voluntatibus; in contractibus, et universaliter in cunctis dispositionibus, ubi specialis contraria existit generali, prout patebit adducendo de singulis exempla ex jure desumptis: Et quidem

10. *Uti in legibus et statutis.* — Loquendo de legibus et statutis, certum est, quod lex specialis derogat generali in eo, in quo sibi sunt contrariæ, uti constat ex innumeris locis utriusque Juris, v. g. in titulo de *Testament.* ubi leges speciales de testamentis militum, ad pias causas derogat dispositioni generali de testamentis in eo, quo sibi sunt contrariæ; eo semper salvo, ut in reliquis maneat concordia, arg. c. *Cum expediat. de Elect.* in 6, et l. *Præcipimus*, 32, § fin. C. de *Appellat.* ibi: « Quidquid hac lege non videtur expressum, veterum legum, constitutionumque regulis omne relictum intelligant. »

11. *In rescriptis.* — De rescriptis et mandatis principum exemplum habes in c. *Studivisti*, 2, de *Officio Legati.* ubi specialis alicujus causæ delegatio per speciale rescriptum episcopo facta derogare dicitur delegationi generali ad omnes causas, quam vi litterarum apostolicarum habet legatus a latere, in tota, quam commissam possidet, provincia: addita illa ratione: « cum mandatum speciale derogat generali. »

12. *In contractibus.* — De contractibus exemplum est in casu, quo in venditione prædii contrahentes expresse remanent beneficium, l. *Rem majoris*. 2. C. de *Rescind. vendit.* vi cujus generaliter conceditur contractus rescissio, vel resarcitio pretii, si pars in eo ultra dimidium læditur; nulli enim contrahentium ad rescissionem contractus, quasi ex dolo initi venire conceditur, quia per clausulam specialem generali derogatur l. *Doli*, 119, ff. de *V. O.* ibi: « Doli clausula, quæ stipulationibus subjicitur, non pertinet ad eas partes stipulationis, de quibus nomi-

natim cavetur. » Dynus hic n. 14, ubi adhuc aliud exemplum ponit.

13. *In legatis.* — De legatis exemplum ponit Dynus hic n. 2; Taccin. n. 6. Si penus in genere legatur Petro, et vinum in specie legatur Paulo, huic debetur vinum, etiamsi vinum sub penu contineatur l. *Qui penum*. 3, ff. *de Penu legat.* Idem est, si Titio vestimenta in genere, et Sophiæ vestis muliebris legatur; hæc enim etsi sub vestimentis in genere contineatur, Sophiæ debetur textu expresso l. 1, pr. ff. *de Auro et argento legato*; ibi: « Si alii vestimenta, alii vestis muliebris separatim legata sit, detractis muliebribus, et ei adsignatis, cui specialiter legata sunt, reliquum alteri debetur. » Ratio utriusque est: « quia generi per speciem derogatur. » Advertit tamen bene Dyn. hic n. 2, præfata et similia exempla intelligenda esse, si genus uni, et species alteri legetur: non vero si alicui prius genus, et postea eidem una vel plures species sub eodem genere contentæ legarentur; quia tunc generi per speciem non derogatur, sed per hanc illud magis firmaretur, et legatarius utramque obtineret.

14. *In testamentis.* — De testamentis post Dynum n. 12, ponit Strein n. 1, exemplum: Si quis patrem et filium in certa bonorum parte in solidum instituit, ac invicem substituit; in reliquis vero partibus alios hæredes instituit, et tandem universaliter sic concludit « Omnes invicem substituo »: in hoc casu sub hac ultima generali substitutione pater et filius, utpote certa parte specialiter invicem substituti, non continentur, l. *Cohæredi*, 41, § 5, ff. *de Vulg. et pupill. substit.*

15. *Et in omni materia, in qua dispositio specialis contraria est generali.* — Tandem procedit in omni materia, ubi specialis dispositio contraria est generali. Barbos. *de Axiom. Juris*. axiomate 107, n. 3; Surdus consil. 56, n. 1; Navarr. consil. 7, n. 5; Tusch. litt. G. concl. 16, n. 5, quia eadem ubique est ratio regula.

16. *Solvitur objectio.* — Objicitur contra regulam c. *Ex parte*, 12, *de Offic. delegati*, ubi priori generali rescripto de conferendo clerico N. archidiaconatu in ecclesia vacaturo, non derogatur per rescriptum speciale de conferenda clerico R. archidiaconatus dignitate. Resp. cum Glossa, tum cit. c. *Ex parte*, tum hic, quod ibidem. si bene intuemur, utrumque rescriptum fuerit speciale; quia primum rescriptum tantum ad unum beneficium restringebatur, fuitque purifica-

tum in specie, id est, in prima dignitate proxime vacatura.

17. *Fallit regula primo in privilegiis.* — Quæritur II. An et quas fallentias regula 34, habeat? Resp. eam inter alia fallere in sequentibus, et quidem primo fallit in privilegiis: quia rescriptum speciale non præjudicat privilegio generali, nisi de eo fiat expressa mentio, et derogatio. Barb. loc. cit. n. 26; Tusch. loc. cit. concl. 26, n. 99; Gloss. in c. *Cum ordinem. de Rescript.* et hic, arg. cit. c. *Cum ordinem.* ibi: « Non facta mentione Cisterciensis ordinis. »

18. Quin imo etiam secundum privilegium speciale non tollit primum generale eidem contrarium, nisi expressa derogationis fiat mentio, ut ait Gloss. hic. § *Generi*, arg. c. *Venient.* 19, *de Præscript.* ibi: « Non obstante privilegio Clementis papæ, per quod privilegio suorum antecessorum non extitit derogatum; cum de ipsis nullam fecerit mentionem. »

19. *Non item in rescriptis; et quare?* — Nec dicas: Rescriptum speciale derogat generali, sive sit secundum, sive primum: ergo idem dicendum de privilegio. Resp. enim Gloss. hic, negando paritatem; quia arg. c. *Veniens.* 19, *de Præscript.* et c. *Decret.* 6, *de Reg. jur.* in 6, cum concordant. semper valet primum privilegium, sive sit generale, sive speciale, si in secundo non tollatur expresse. Ratio disparitatis est inter rescriptum et privilegium, quia per primum privilegium etiam generale consequitur quis jus plenum: per primum rescriptum generale vero non acquiritur plena jurisdictio in speciebus. arg. c. *Pastorale de Rescript.* nam ante expressionem personarum vel rerum delegatus solum in habitu habet jurisdictionem, non vero in actu, et ideo facilius tollitur prius rescriptum, quam privilegium.

20. *Fallit secundo, quando genus tantum in una specie verificatur.* — Fallit secundo, quando genus in una tantum specie verificatur, et consequenter hæc illi contraria non est, quia tunc genus pro specie reputatur. Barb. loc. cit. n. fin.; Menochius consil. 71, n. 23, arg. l. 2, ff. *de Liber. et posthum. cum concord.*

21. *Vel species tantum pro declaratione adducitur.* — Fallit tertio, si species præcise adducitur pro majori declaratione generis. Barb. loc. cit. n. 22; Tusch. litt. G. consil. 36, n. 103. Ratio est, quia ibi nulla intervenit contrarietas.

22. *Fallit tertio, et quidem universaliter,*

quando per genus jam fuit quæsitum jus tertio. Fallit quarto, et quidem universaliter, quando per genus jam est quæsitum jus tertio; tunc enim generi per speciem non derogatur, nisi exprimat. Arg. c. *Super eo*, 15, *de Offic. delegat.* et l. *Qui generaliter*. 2, ff. *Qui potior. in pign. hab.* Gloss. in cit. c. *Super eo*. § *Intent.* et marginalis, hic. Exemplum esto: quando quis alicui creditori generaliter omnia sua bona per hypothecam obligavit, et postea cuidam prædium aliquod in specie hypothecavit, non derogat hypotheca specialis hypothecæ generali; quia prior creditor per generalem hypothecam in cuncta bona debitoris jus eatenus acquisivit, quatenus non amplius in potestate debitoris est, aliquod ex suis bonis alteri per specialem hypothecam obligare, et per hanc supervenientem creditoris prioris jus lædere, ejusque conditionem facere deteriore, textu claro l. *Si generaliter*. 6. C. *Qui potior. in pign. hab.* ibi: « Si generaliter bona sint obligata, et postea res alii specialiter in pignus detur, etc., non oportet te ab eo, qui postea credidit, inquietari, juncta l. *Qui generaliter*. § 2, ff. eod. ubi idem repetitur.

REGULA XXXV.

PLUS SEMPER IN SE CONTINET, QUOD EST MINUS.

1. *Regula unde desumpta? et quibus concordet?* — Regula hæc deprompta habetur ex l. *In eo, quod plus*. 110, ff. *de Reg. jur.* ibi: « In eo, quod plus sit: semper inest minus, » et l. *In toto*, 113, ff. eod. ibi: « In toto et pars continetur »: cui suo modo concordant etiam plures aliæ juris regulæ, veluti 53, *de Reg. jur.* in 6, ibi: Cui licet, quod est plus, licet utrique, quod est minus. » Item 80, eod. tit. « In toto partem non est dubium contineri. » Item regula, *Non debet*, 21, ff. *de Reg. jur.* « Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere. »

2. *Plus et minus diversimode sumitur.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda et quis verus illius sensus sit? Ante responsum notandum cum Barb. hic. n. 1, et aliis, « plus et minus » aliquid diversimode esse et dici: et quidem primo in quantitate, uti in summa, sive numero, in mensura et in pondere respectu minoris, l. 1, § *Si stipulanti*, ff. *de Verb. oblig.* in quo sensu decem plus est respectu quinque: quinque mensuræ plus sunt, quam duæ, etc. Secundo

in toto, quod plus est, quam quævis pars totius, quæ in eo continetur, et semper contineri censetur juxta cit. Regul. *In toto*, ff. *de Reg. jur.* in quo sensu domus plus est, quam quævis pars illius v. g. rectum, paries l. *Eum qui ædes*. 23, ff. *de Usucap.* Tertio in genere respectu specierum, l. *Si chorus*, 79, pr. ff. *de Legat.* III. Quarto in qualitate; in quo sensu plus est obligatio pura, vel in diem, quam conditionalis, § *Fidejussores*, 5, § *Item*. Instit. *de Fidejuss.* Hoc notato

3. *Ad præsens sumitur plus in quantitate et toto. Ponitur versus sensus regulæ.* — Resp. I. Regula intelligenda est duntaxat de ly plus et minus prout sumitur in primo et secundo sensu, de plus in quantitate et toto integrali: uti cum aliis loc. cit. bene observat Barbos. Quare verus regulæ sensus hic est: « Quantitas major sive in summa et numero, sive in pondere aut mensura semper et se continet quantitatem minorem. Et quod libet totum semper in se continet sui partem. » Ratio regulæ non tam ex jure, quam ex lumine naturali evidenter patet, uti bene observant Barb. loc. cit. n. 2; Tusch., tom. VII, lit. S. conclus. 885, et alii. Absque omni enim probatione per se naturaliter constat, plus esse centum quam viginti, indeque centum, quod plus est, continere in se viginti, quod minus est: consequenter eam, qui habet, promisit, debet aut dedit centum, habere, promissæ, debere, et dedisse etiam viginti. Sic pariter lumine naturali evidens est, totum aliquod plus et majus quid esse, quam hujusmodi totius partem: cum impossibile sit, subsistere, vel considerari posse totum sine sui parte, prout bene discurrunt doctores citati.

4. *Procedit regula in plurimis, uti ultimis voluntatibus.* — Verum quantumvis lumine naturali nota sit Regula et sensus illius, tamen pro applicatione practica declaratur, et firmatur etiam variis juris exemplis a Glossa hic, Dyno, Peckio, Streinio, Taccino adductis, quia fere ubique, uti in ultimis voluntatibus, sententiis, probationibus, et in quavis dispositione locum habet, uti patet ex verbo *semper*, et notant doctores citati: sic enim in ultimis voluntatibus si quis intendens alicui legare quartam bonorum partem ex errore scripsit dimidiam, debetur ei quarta pars, quæ dimidiæ, quæ plus importat, inest l. *Qui quartam*, 15, ff. *de Legat.* I et l. *Quoties*, 9, § *Sed si majorem*, ff. *de Hæred. Instit.* Item si quis absolutus est a petitione